

1997 TSJCL SIGHT RECITATION

LEVELS 1/2A, 1/2B, & I

PARIS

Ōlim in monte Īdā prope Trōiam habitābat pulcher adulēscēns, Paris appellātus. Paris erat secundus fīlius Priamī, rēgis Trōiae, et uxōris Hecubae. Propter ōrāculum Priamus Paridem timēbat, et puerum, īnscium parentium, in monte Īdā reliquerat.

Pāstōrēs puerum parvum inventum cūrāverant. Paris inter pāstōrēs habitābat et ovēs servābat. In monte habitābat Oenōnē, nymp̄ha pulchra. Eam vīsam Paris amāvit et in mātrimōnium dūxit. Post multōs annōs Paris nōmina parentium cōgnōvit, sed in monte cum uxōre amātā manēbat.

Deī et deae in monte Olympō in Graeciā habitābant. Omnēs sub imperiō Iovis erant. Iovem rēgem deōrum et patrem hominum appellābant.

Dum Paris in monte Īdā habitat, in monte Olympō erat mātrimōnium. Peleus nymp̄ham Thetidem in mātrimōnium dūxit, et omnēs deōs deāsque, praeter sōlam deam Discordiam, ad dapēs convocāvit. Discordia tamen, nōn vocāta, ad dapēs vēnit et manū suā aureum mālum mediōs in deōs et deās iēcit. In mālō erat verbum "Pulcherrimae."